

set extrahere, discessit, ut ait Philistus, ægre ferens. Quum autem aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum, respexitque, et equum alacrem lætus adspexit, cujus in juba examen apum considerat. Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare cœperit.

XXXIV. Quid? Lacedæmoniis, paullo ante Leucetricam calamitatem, quæ significatio facta est, quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt; armaque, quæ fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa. Quumque eodem tempore apud Lebadium Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent; tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere solet, canere, si vicisset. Eademque tempestate multis signis Lacedæmoniis Leucetricæ pugnæ calamitas denuntiabatur. Namque et Lysandri, qui Lacedæmoniorum clarissimus fuerat, statuæ, quæ Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus; stellæque aureæ, quæ Delphis erant a Lacedæmoniis positæ post navalem illam victoriam Lysandri, quæ Athenienses conciderunt (qua in pugna quia

Castor et Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellæ aureæ, quas dixi, Delphis positæ); paullo ante Leucetricam pugnam deciderunt, neque repertæ sunt. Maximum vero illud portentum iisdem Spartiatis fuit, quod, quum oraculum ab Jove Dodonæo petivissent, de victoria seiscitantes, legatiquè illud, in quo inerant sortes, collocavissent: simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas, et cetera, quæ erant ad sortem parata, disturbavit, et aliud alio dissipavit. Tum ea, quæ præposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedæmoniis esse, non de victoria cogitandum.

XXXV. Quid? bello Punico secundo, nonne C. Flaminius, consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicæ? qui, exercitu lastrato, quum Arretium versus castra movisset, et contra Hannibalem legiones duceret; et ipse, et equus ejus ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem quum tripudio auspicaretur, pullarius diem prælii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quasivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Quum ille quiescendum respondisset, Flaminius:

Praeclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa convelli, et se sequi jussit. Quo tempore, quum signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quidquam proficeretur, plures quum accederent; Flaminius, re nuntiata, suo more neglexit. Itaque tribus<sup>1</sup> his horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod<sup>2</sup> addidit Caelius, eo tempore ipso, quum hoc calamitosum fieret praelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque<sup>3</sup> amnes mare influxerit.

XXXVI. Fiunt certe divinationum conjecturae a peritis. Mida illi Phrygio, quum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Diviissimum fore, praedictum est; quod evenit. At Platoni quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore: ita futura eloquentia provisiva in infante est. Quid? amores ac deliciae tuae, Roscius, num aut ipse, aut pro eo Lanuvium

<sup>1</sup> Ernest. delet his post Davisium; Wopkens. tamen recte, ut videtur, defenderat. <sup>2</sup> Melius forte, addit.  
<sup>3</sup> Ernest. post al. in amnes.

totum mentiebatur? qui quum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini; noctu, lumine apposito, experrecta nutritrix animadvertit puerum dormientem circumplexatum serpentis amplexu. Quo adpectu exterrita, clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad aruspices retulit. Qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem<sup>1</sup> Praxiteles colavit argento, et noster expressit Archias versibus.

Quid igitur expectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerant, vim autem suam longe lateque diffundunt: quam quum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. Quid enim? non videmus, quam sint varia terrarum genera? ex quibus et mortifera quaedam pars est, ut et Ampsancti in Hirpinis, et in Asia Plutonia, quae vidimus; et sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres; aliae, quae acuta ingenia gignant; aliae, quae retusa. Quae omnia et ex coeli varietate, et ex disparili adspiratione terrarum.

<sup>1</sup> Pro Praxitele, laudato tamen a Plinio, XXXIII, 12. Winkelmann. legi voluit Pasiteles, de quo idem Plinius, XXXVI, 5.

XXXVII. Fit etiam sæpe specie quadam, sæpe vocum gravitate, et cantibus, ut pellantur animi vehementius; sæpe etiam cura et timore: qualis est illa,

<sup>1</sup>Flexanima tanquam lymphata, <sup>2</sup> ut Bacchi sacris Commota; in tumulis Teucrum commemorans suum.

Atque etiam illa concitatio declarat vim in animis esse divinam. Negat enim, sine furore, Democritus, quemquam poetam magnum esse posse. Quod idem dicit Plato. Quem, si placet, appellet furem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus est. Quid? vestra oratio in causis, quid? ipsa actio potest esse vehemens, et gravis, et copiosa, nisi est animus ipse commotior? Equidem etiam in te sæpe vidi; et (ut ad leviora veniamus) in Æsopo familiari tuo, tantam ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quædam abstraxisse a sensu mentis videretur. Obijciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt; speciem autem offerunt. Quod contigisse Brenno dicitur, ejusque Gallicis copiis, quum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. Tum enim ferunt, ex oraculo effatam esse Pythiam,

<sup>1</sup> Versus Pacuvii, Varrone teste, de Ling. Lat., vi.  
<sup>2</sup> Auratus conj. aut, multis probantibus.

<sup>1</sup> Ego providebo rem istam, et albæ virgines.

Ex quo factum, ut et viderentur virgines ferre arma contra, et nive Gallorum obrueretur exercitus.

Aristoteles quidem eos etiam, qui validitudinis vitio frerent, et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis præsagens atque divinum. Ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis. Animi enim integri, non vitiosi corporis, est divinatio.

XXXVIII. Quam quidem esse re vera, hac stoicorum ratione concluditur: Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, quæ futura sunt: aut non diligunt homines; aut, quid eventurum sit, ignorant; aut existimant, nihil interesse hominum, scire, quid futurum sit; aut non consent, esse suæ majestatis, præsignificare hominibus, quæ sunt futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta et designata sunt: neque nostra nihil interest, scire ea, quæ eventura sunt; erimus enim cautiore, si sciemus: neque

<sup>1</sup> Fulv. Ursinus notavit versum Græcum apud Tzetzen, Chiliad. xi:

Ἐγὼ μὲν ἴσσει πάντα, καὶ λευκαῖς κόραις.

hoc alienum ducunt majestate sua; nihil est enim beneficentia præstantius: neque non possunt futura prænoseere. Non igitur sunt dii, nec significant futura. Sunt autem dii; significant ergo. Et non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam; frustra enim significant; nec, si dant vias, non est divinatio; est igitur divinatio.

XXXIX. Hac ratione et Chrysippus, et Diogenes, et Antipater utitur. Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ disputavi, verissima? Si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Græci, si barbari, si majores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poetæ, si sapientissimi viri, qui res publicas constituerunt, qui urbes condiderunt: an, dum bestię loquantur, expectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus?

Nec vero quidquam aliud affertur, cur ea, quæ dico, divinandi genera, nulla sint; nisi, quod difficile dictu videtur, quæ cujusque divinationis ratio, quæ causa sit. Quid enim habet aruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus, et proferat diem? quid augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus, cur stella Jovis, aut Veneris conjuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit, Saturni Martisque con-

traria? Cur autem deus dormientes non moneat, vigilantes negligat? Quid deinde causæ<sup>1</sup> sit, cur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quidque, quæris? Recte omnino. Sed non nunc id agitur. Fiat, necne fiat, id quæritur. Ut si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se alliciat et attrahat; rationem, cur id fiat, afferre nequeam: fieri omnino neges. Quod idem facis in divinatione; quam et cernimus ipsi, et audimus, et legimus, et a patribus accepimus. Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit; et postea, quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate; excepi de antiquis, præter Xenophanem, neminem; adjunxi veterem academiam, peripateticos, stoicos. Unus dissentit Epicurus. Quid vero hoc turpius, quam quod idem nullam sensit gratitiam esse virtutem?

XL. Quis est autem, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas? Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum, \* eumque ducem classium fuisse. At illum

<sup>1</sup> Victor. Davis. Ernest. leg. sit. Hottinger. reputat. <sup>2</sup> Præclara Gulielm. emendatio, et ab omni-

auspiciorum credo scientia, non locorum. Amphilo-  
 chus et Mopsus Argivorum reges fuerunt, sed  
 iidem augures; iique urbes in ora maritima Ciliciz  
 Græcas condiderunt. Atque etiam ante hos Am-  
 phiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri, neque  
 eorum similes, ut apud Ennium est,

Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias;

sed clari, et præstantes viri, qui avibus et signis  
 admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam  
 apud inferos Homerus ait, <sup>1</sup> solum sapere, ceteros  
 umbrarum vagari modo. Amphiarum autem sic  
 honoravit fama Græciæ, deus ut haberetur, atque  
 ut ab ejus solo, in quo est humatus, oracula pe-  
 terentur. Quid? Asiæ rex Priamus, nonne et Hele-  
 num filium et Cassandram filiam divinantes habe-  
 bat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione  
 et permotione divina? Quo in genere Marcios quos-  
 dam fratres, nobili loco natos, apud majores nos-  
 tros fuisse, scriptum videmus. Quid? <sup>2</sup> Polyidum  
 Corinthium nonne Homerus et aliis multa, et filio

*bus laudata, eumque ducem classium fuisse ad Ilium,*  
 auspiciorum credo scientia, non locorum. *Al. habent*  
*classis.* <sup>1</sup> *Odys., x, 494.* <sup>2</sup> *Olim male Polybum. Re-*  
*stituit veram lectionem Manutius, ex Iliad., XIII,*  
*663.*

ad Trojam proficiscenti, mortem prædixisse com-  
 memorat? Omnino apud veteres, qui rerum potie-  
 bantur, iidem auguria tenebant. Ut enim sapere,  
 sic divinare regale ducebant, ut testis est nostra  
 civitas; in qua et reges augures, et postea privati,  
 eodem sacerdotio præditi, rempublicam religio-  
 num auctoritate rexerunt.

XLI. Eaque divinationum ratio ne in barbaris  
 quidem gentibus neglecta est. Si quidem et in Gallia  
 druidæ sunt, e quibus ipse Divitiacum Æduum,  
 hospitem tuum laudatoremque cognovi; qui et na-  
 turæ rationem, quam physiologiam Græci appel-  
 lant, notam esse sibi profitebatur, et partim angu-  
 riiis, partim conjectura, quæ essent futura, dicebat.  
 Et in Persis augurantur et divinant magi, qui con-  
 gregantur in fano commentandi causa, qui con-  
 gregantur in fano commentandi causa, qui con-  
 se colloquendi; quod etiam idem vos quondam fa-  
 cere nonis solebatis. Nec quisquam rex Persarum  
 potest esse, qui non ante magorum disciplinam  
 scientiamque perceperit. Licet autem videre et ge-  
 nera quædam, et nationes huic scientiæ deditas.  
 Telmessus in Caria est; qua in urbe excellit aru-  
 spicum disciplina. Itemque Elis in Peloponneso fa-  
 milias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram  
<sup>1</sup> Clytidarum, aruspiciæ nobilitate præstantes. In

<sup>1</sup> *Vulg. Clutidarum. Sequimur Herodot., ix, 33.*

Syria Chaldæi cognitione astrorum solertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de celo taeta scientissime animadvertit; eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros senatus, tum, quum florebat imperium, decrevit, ut de principum filii<sup>1</sup> sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta, propter tenuitatem hominum, a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum. Phryges autem, et Pisiidæ, et Cilices, et Arabum natio, avium significationibus plurimum obtemperant. Quod idem factitatum in Umbria accepimus.

XLII. Ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductæ. Etenim Ægyptii et Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt; Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius, et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dederunt; quodque propter aeris crassitudinem, de celo apud eos multa fiebant, et quod ob eam-

<sup>1</sup> *J. Lips.*, *Electorum* l. II, c. 11, malebat duodecim; *Davisius vero*, e *Valer. Max.*, I, 1, decem.

dem causam multa inusitata partim e celo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu, ostentorum exercitissimi interpretes extiterunt. Quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a majoribus posita declarant: quia enim ostendunt, portant, monstrant, prædicunt; ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. Arabes autem, et Phryges, et Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos et montes hieme et æstate peragrantes, propterea facilius cantus avium et volatus notaverunt. Eademque et Pisiidæ causa fuit, et hæc nostræ Umbriæ. Tum Caria tota, præcipueque Telmesses, quos ante dixi, quod agros uberrimos maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter fecunditatem fingi gignique possunt, in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt.

XLIII. Quis vero non videt, in optima quaque republica plurimum auspicia, et reliqua divinandi genera valuisse? Quis rex unquam fuit, quis populus, qui non uteretur prædicatione divina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis; quo majus erat certamen et discrimen salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi habent. Auspicia externa videamus. Nam et Athenienses omnibus semper publicis

consilii divinos quosdam sacerdotes, quos *μάντις* vocant, adhibuerunt: et Lacedæmonii regibus suis augurem assessorem dederunt; itemque senibus (sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt; iidemque de rebus majoribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum rempublicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas quum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam, qui præerat Lacedæmonii, non contenti vigilantibus curis, in <sup>1</sup> Pasiphæ fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Ad nostra jam redeo. Quoties senatus decemvros ad libros ire jussit? <sup>2</sup> Quantis in rebus, quamque sæpe responsis aruspicum paruit? Nam et quum duo visi soles essent, et quum tres lunæ, et quum faces, et quum sol nocte visus esset, et quum e cælo fremitus auditus, et quum cælum discessisse visum est, atque in eo animadversi globi. Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaque maximis terræ motibus conquassata es-

<sup>1</sup> Olim, Pasitheæ. <sup>2</sup> Quantis.... paruit. *Hæc absunt h. l. Relata huc ex initio c. 44.*

set; quibus portentis magna populo romano bella perniciosæque seditiones denuntiabantur: inque his omnibus responsa aruspicum cum Sibyllæ verbis congruebant. Quid, quum Cumis Apollo sudavit, Capuæ Victoria? quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid, quod, fluvius <sup>1</sup> atratus sanguine fluxit? quid, quum sæpe lapidum, sanguinis nonnunquam, terræ interdum, quondam etiam lactis imber <sup>2</sup> defluxit? quid, quum in Capitolio ictus Centaurus e cælo est? in Aventino portæ, et homines? Tusculi ædes Castoris, et Pollucis, Romæque Pietatis? nonne et aruspices ea responderunt, quæ evenerunt, et in Sibyllæ libris eadem repertæ prædictiones sunt?

XLIV. <sup>3</sup> Cæciliæ, Q. filix, modo, Marsico bello, templum est a senatu <sup>4</sup> Junoni Sospitæ restitutum. Quod quidem somnium Sisenna quum disputavisset mirifice ad verbum cum re convennisse, tum insolenter, credo, ab Epicureo aliquo inductus, disputat, somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat, exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse,

<sup>1</sup> Davis. edidit Atratus, ut sit nomen ignoti nunc fluvii. <sup>2</sup> Effluxit. <sup>3</sup> Sequuntur hic, Quoties senatus — paruit, e cap. superiori. Omnes a Davisio mutationem ab ipso factam comprobant. <sup>4</sup> Cod. Parisin. Junouis.

et sanguinem fluxisse, et discessisse cœlum; et ex occulto auditas esse voces, quæ pericula belli nuntiarent; et Lanuvii clypeos, quod aruspibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos. Quid? quod in Annalibus habemus, Veienti bello, quum lacus Albanus præter modum crevisset, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse, eumque dixisse, ex fati, quæ Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret; et, si lacus emissus lapsu et cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo romano; sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio est. Quum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere; in iisdem enim fati scriptum Veientes habere, « Fore, ut brevi a Gallis Roma caperetur. » Quod quidem sexennio post Veios captos factum esse <sup>1</sup> videmus.

XLV. Sæpe etiam in præliis Fauni auditi; et

<sup>1</sup> Multos offendit versus clausula. Hinc legebatur vidimus, quod hic locum non habet. Gruter. suadet duo ultima verba recidere; sed tum oratio esset minime Ciceroniana. Promtior ratio legentium esse factum pro factum esse.

in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missæ esse dicuntur. Cujus generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ, qui a Palatii radice in Novam viam devexus est: « Ut muri, et portæ reficerentur; futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur. » Quod neglectum, quum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem <sup>1</sup> explicatum est. Ara enim Aio Loquenti, quam septam videmus, ex adversus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, quum terræ motus factus esset, « Ut sue plena procuratio fieret, » vocem ab æde Junonis ex arce exstitisse; quocirca Junonem illam appellatam Monetam. Hæc igitur et a diis significata, et a nostris majoribus judicata contemnimus?

Neque solum deorum voces Pythagorei <sup>2</sup> observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocantur omina. Quæ majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendi, « Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, » præfabantur, rebusque divinis, quæ publice fierent, ut « faverent linguis, » imperabatur; inque feriis imperan-

<sup>1</sup> Davis. emendat expiatum, comparato Livii loco, V, 50. <sup>2</sup> Multi iterum mss., ut supra, c. 1, observaverunt.



dis, « ut litibus et jurgiis se abstinerent. » Itemque in lustranda colonia, ab eo, qui eam deduceret, et quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. Quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine. Quae quidem a te scis et consule, et imperatore summa religione esse servata. Prærogativam etiam majores omen justorum comitiorum esse voluerunt.

XLVI. Atque ego exempla <sup>1</sup> omnium nota proferam. L. Paullus, consul iterum, quum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obtigisset; ut ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiulam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, osculans animadvertit tristiculam. « Quid est, inquit, mea Tertia? quid tristis es? — Mi pater, inquit, Persa perit. » Tum ille arctius puellam complexus, « Accipio, inquit, mea filia, omen. » Erat autem <sup>2</sup> mortuus catellus eo nomine. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi, quum diceret, Cæciliam Metelli, quum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum omnis capiendi causa; quod fieri more veterum solebat. Quam virgo staret, et Cæcilia in sella sederet, neque diu ulla vox exstitisset, puellam defatigatam

<sup>1</sup> Omnium. <sup>2</sup> *Fulgati olim libri*, mortua catella.

petiisse a matertera, ut sibi concederet paullisper, ut in ejus sella requiesceret; illam autem dixisse, <sup>1</sup> Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes. Quod omen res consecuta est. Ipsa enim brevi mortua est; virgo autem nupsit, cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc posse contemni, vel etiam rideri; præclare intelligo; sed id ipsum est, deos non putare, quæ ab iis significantur, contemnere.

XLVII. Quid de auguribus loquar? Tuæ partes sunt; tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi <sup>2</sup> App. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato salutis augurio, bellum domesticum triste ac turbulentum fore; quod paucis post mensibus exortum, paucioribus a te est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer assentior. Solus enim multorum annorum memoria, non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. Quem irridebant collegæ tui, eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant. Quibus nulla videbatur in auguriis, aut auspiciis præsentio, aut scientia veritatis futuræ; sapienter, aiebant, ad opinionem imperitorum

<sup>1</sup> *Al. Vere. Minus feliciter.* <sup>2</sup> *Ernest. post multos, P. Claudius. Male. Ed. Oxon. nomen P. notat ex uno ψ. Ergo, si accurate notata sit varietas, ceteri codd. omnes favent lectioni Maritiane.*

esse fictas religiones. Quod longe secus est; neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus præfuit, nec in ipso Romulo hæc calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent: sed difficultas laborque discendi disertam negligentiam reddidit. Malunt enim disserere, nihil esse in auspiciis, quam, quid sit, ediscere. Quid est illo auspicio divinius, quod apud te in Mario est? ut utar potissimum te auctore:

- <sup>1</sup> Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles  
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,  
<sup>2</sup> Subigit ipsa feris transfigens unguibus anguem  
Semianimum, et varia graviter cervicæ micantem.  
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans,  
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores,  
Abjicit efflantem, et laceratum affligit in unda,  
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.  
Hanc ubi præpetibus pinnis lapsaque volentem  
Conspexit Marius, divini numinis augur,  
Faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit;  
Partibus intonuit coeli pater ipse sinistris:  
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

XLVIII. Atque ille Romuli auguratus, pastora-

- <sup>1</sup> *Foltarius, in præfatione ad tragediam Cætilianam, Sic Jovis, nullam auctoritatem secutus.* <sup>2</sup> *Id., ex emendatione Turnebi et Aldi. Ipsa feris subigit. Lamb. conj. Subbigit; Davis. Subjugat; al. aliter.*

lis, non urbanus fuit; nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis acceptus, et posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura, concupientes  
Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.  
Hinc hæmus auspicio se devovet, atque secundam  
Solutam avem servat. At Romulu' pulcher in alto  
Quærit Aventino, servans genus altivolantum.  
Certabant, urbem Romam, Remoramne vocarent.  
Omnibu' cura viris, uter esset induperator;  
Expectant, veluti, consul quum mittere signum  
Vult, omnes avidi spectant ad carceris oras,  
Quam mox emittat pictis ex faucibu' currus:  
Sic expectabat populus, atque ore timebat  
Rebus, utri magni victoria sit data regni.  
Interea sol albu' recessit in infera noctis;  
Exin candida se radiis dedit ieta foras lux:  
Et simul ex alto longe pulcherrima præpes  
Lava volavit avis; simul aureus exoritur sol.  
Cedunt de cælo ter quatuor corpora sancta  
Avium, præpetibus sese pulchrisque locis dant.  
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,  
Auspicio regni stabilita scamna, solumque.

XLIX. Sed unde huc digressa est, eodem redeat oratio. Si nihil queam disputare, quamobrem quidquid fiat; et tantummodo, fieri ea, quæ comme-

moravi, doceam: parumne Epicuro Carneade respondeam? Quid, si etiam ratio exstat artificiosæ præsentionis, facilis; divinæ autem, paullo obscurior? Quæ enim extis, quæ fulguribus, quæ portentis, quæ astris præsentuntur, hæc notata sunt observatione diuturna. Affert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione <sup>1</sup> incredibilem scientiam; quæ potest esse etiam sine motu atque impulsu deorum, quum, quid ex quoque eveniat, et quid quamque rem significet, crebra animadversione perspectum est. Altera divinatio est naturalis, ut ante dixi: quæ physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum; a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et <sup>2</sup> libatos habemus; quumque omnia completa et referta sint æterno sensu, et mente divina, necesse est cognatione divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes animi vitæ necessitatibus serviunt, disjunguntque se a societate divina, vinculis corporis impediti. Rarum est quoddam genus eorum, qui se a corpore avocent, et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur. Horum sunt anguria non divini impetus, sed rationis humanæ.

<sup>1</sup> Hottinger conjecit credibilem, et sic edidit. Nimis fulenter. <sup>2</sup> Al. olim delibatos.

Nam et natura futura præsentunt, ut aquarum <sup>1</sup> fluxiones, et deflagrationem futuram aliquando cæli atque terrarum. Alii autem, in republica exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt; quos prudentes possumus dicere, id est, providentes, divinos nullo modo possumus, non plus, quam Milesium Thalem, qui, ut objurgatores suos vinceret, ostenderetque, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere cœpisset, in agro Milesio coemisse dicitur. Animadverterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quæ Astyage regnante facta est, prædixisse fertur.

L. Multa medici, multa gubernatores, agricolæ etiam multa præsentunt; sed nullam eorum divinationem voco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedæmonii sunt, ut urbem et tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terræ motus instaret, tum, quum et urbs tota corrui, et ex monte Taygeto <sup>2</sup> extre-

<sup>1</sup> Turnebus emend. cluviones, e Somnio Scipionis, c. 7, et lib. II de Offic., c. 5. <sup>2</sup> Codd. regii et Cantabrig. legunt, extrema pars montis quasi puppis. Sed videtur pars additamentum interpretis, e Plinio, II, 79. Lalle. non dedit.

ma montis quasi puppis avulsa est. Ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magister, potius divinus habebitur, quam physicus; qui quum vidisset haustam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit instare. Nec vero unquam animus hominis naturaliter divinatur, nisi quum ita solutus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore. Quod aut vatibus contingit, aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicæarcho probantur, et, ut dixi, a Cratippo nostro. Si propterea, quod ea proficiuntur a natura, sint summa sane, modo ne sola. Sin autem nihil esse in observatione putant, multa tollunt, quibus vitæ ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid, idque non parvum, vaticinationes cum somniis; nihil est, quod cum his magnopere pugnet, præsertim quum sint, qui omnino nullam divinationem probent. Ergo et ii, quorum animi, spreto corporibus, evolant atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profecto, quæ vaticinantes prænuntiant: multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent; ut ii, qui sono quodam vocum et Phrygiis cantibus incitantur: multos nemora, silvæque; multos annes, aut maria commovent; quorum furibunda mens videt ante multo, quæ futura sunt. Quo de genere illa sunt,

Eheu, videte! judicavit inclytum judicium  
Inter deas tres aliquis; quo judicio Lacedæmonia  
Mulier<sup>1</sup>, furiarum una, adveniet.

Eodem enim modo multa a vaticinantibus sæpe prædicta sunt, neque solum verbis, sed etiam

Versibus, quos olim Fauni, vatesque canebant.

Similiter Marcus et Publicius vates cecinisse dicuntur. Quo e genere Apollinis operata prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum; quibus inflatæ mentes oracula funderent.

LI. Atque hæc quidem vatium ratio est; nec dissimilis sane somniorum. Nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnis, liberque sensibus<sup>2</sup> ab omni impeditioe curarum, jacente et mortuo præne corpore. Qui quia vixit ab omni æternitate, versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura rerum sunt, videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus, ut sopito corpore ipse vigilet. Hæc somniantis est divinatio. Hic magna quædam exoritur,

<sup>1</sup> Helena. <sup>2</sup> Legendum videtur, et omni i. c.

neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio; eodemque modo et oraculorum et vaticinationum. Sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum. Nam ut aurum et argentum, æs, ferrum frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset, quemadmodum ad eorum venas perveniretur; nec fruges terræ, baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones tradidisset; materiave quid juvaret, nisi <sup>1</sup> confectionis ejus fabricam haberemus? sic cum omni utilitate, quam dii hominibus dederunt, ars aliqua conjuncta est, per quam illa utilitas percipi possit. Item igitur somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitæ sunt interpretum.

Quo modo autem aut vates, aut somniantes ea videant, quæ nusquam etiam tunc sint, magna quæstio est. Sed explorata si sint ea, quæ ante quæri debeant; sint hæc, quæ quærimus, faciliora. Continet enim totam hanc quæstionem ea ratio, quæ est de natura deorum, quæ a te secundo libro <sup>2</sup> explicata dilucide. Quam si obtinemus, sta-

<sup>1</sup> *Melius forte, consectionis.* <sup>2</sup> *Quidam addunt est ante explicata; sed facilior, eademque salubrior medicina Hottingeri legitis, ea ratio, quæ est de natura deorum a te secundo libro explicata dilucide.*

bit illud quidem, quod locum hunc continet, de quo agimus, esse deos, et eorum providentia mundum administrari, eosdemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis. Hæc si tenemus, quæ mihi quidem non videntur posse convelli, profecto hominibus a diis futura significari necesse est. Sed distinguendum videtur, quonam modo.

LII. <sup>1</sup> Nam non placet stoicis, singulis jecorum fissis, aut avium cantibus interesse deum; neque enim decorum est, nec diis dignum, nec fieri alio pacto potest: sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa præcurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ii non sæpe falluntur. Male conjecta maleque interpretata falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Hoc autem posito atque concesso, esse quamdam vim divinam, hominum vitam continentem: non difficile est, quæ fieri certe videmus, ea qua ratione fiant, suspicari. Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse vis quædam sentiens, quæ est toto confusa mundo; et tum, ipsam quam immolare velis,

<sup>1</sup> *Aberat Nam; dant multi mss.*

extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid, aut supersit. Parvis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paullo ante interitum Cæsaris contigit: qui quum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei novitate <sup>2</sup> percussus, quum Spurinna diceret, timendum esse, ne et consilium, et vita deficeret; earum enim rerum utrumque a corde proficisci: postero die caput in jecore non fuit. Quæ quidem illi portendebantur a diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Quum igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequisset; intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint, interisse.

LIII. Eademque efficit in avibus divina mens; ut tum huc, tum illuc volent alites; tunc in hac, tum in illa parte se occultent; tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. Nam si animal omne, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quocumque vult flec-

<sup>1</sup> Interitu. <sup>2</sup> Ernest. percussus.

tit, contorquet, porrigit, contrahit; eaque ante efficit pæne, quam cogitat: quanto id deo est facilius, cujus numini parent omnia? Idemque mituit et signa nobis ejus generis, qualia permulta historia tradidit, quale scriptum illud videmus: si lana paullo ante solis ortum defecisset in signo leonis, fore, ut armis Darius et Persæ ab Alexandro et Macedonibus [prælio] vincerentur, Dariusque moreretur: et, si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam et adulterium domi: et, si mulier leonem peperisse visa esset, fore, ut ab exteris gentibus vinceretur ea respublica, in qua id contigisset. <sup>1</sup> Ejusdem generis etiam illud est, quod scribit Herodotus<sup>2</sup>: Cræsi filium, quum esset infans, locutum; quo ostento regnum patris et domum funditus concidisse. Caput arsisse Servio Tullio dormienti, quæ historia non prodidit? Ut igitur, qui <sup>3</sup> se tradet quieti, præparato animo quum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis: sic castus animus purusque vigilantis, et ad astrorum, et ad avium, reliquorumque signorum, et ad extorum veritatem est paratior.

LIV. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate

<sup>1</sup> E. autem generis. <sup>2</sup> Lib. 1, cap. 85. <sup>3</sup> Se ita tr. q.

accepimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum sæpe dicitur, esse divinum quiddam, quod dæmonion appellat, cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti, sæpe revocanti. Et Socrates quidem, quo quem auctorem meliorem quærimus? Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum, postea quam exposuit, quæ sibi videbantur, « Et nostrum quidem, inquit, humanum est consilium; sed de rebus et obscuris et incertis ad Apollinem censeo referendum; ad quem etiam Athenienses publice de majoribus rebus semper retulerunt. » Scriptum est item, quum Critonis, sui familiaris, oculum alligatum vidisset, quæsisvisse, quid esset; quum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse; tum Socrates, Non enim paruisti mihi revocanti, quum uterer, qua soleo, præsentione divina. Idem etiam Socrates, quum apud Delium male pugnatum esset, Lachete prætore, fugereturque cum ipso Lachete; ut ventum est in trivium, eadem, qua ceteri, fugere noluit. Quibus quærentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri se a deo dixit. Tum quidem ii, qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt. Permulta collecta sunt ab Antipatro, quæ mirabiliter a Socrate divinata sunt: quæ prætermittam. Tibi enim nota sunt; mihi ad commemorandum non necessaria. Il-

lud tamen ejus philosophi magnificum, ac pæne divinum, quod, quum impiis sententiis damnatus esset, æquissimo animo se dixit mori. Neque enim domo egredienti, neque illud suggestum, in quo causam dixerat, adscendenti, siguum sibi ullum, quod consuesset, a deo, quasi mali alicujus impendentis, datum.

LV. Equidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte, aut conjectura divinare videantur, esse tamen divinationem; homines autem, ut in ceteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum; potest aliquod latuisse aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modo plura, sed pauciora, divine præsentia et prædicta reperiri. Quin etiam hoc non dubitans dixerim: si unum aliquid ita sit prædictum præsensumque, ut quum evenerit, ita cadat, ut prædictum sit, neque in eo quidquam casu et fortuito factum esse appareat, esse certe divinationem, idque esse omnibus confitendum.

Quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura, vis omnis divinandi, ratioque repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci

*επιμαρτυμένην*, id est, ordinem seriemque causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod quum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa æterna rerum, cur et ea, quæ præterierunt, facta sint, et, quæ iustant, fiant, et, quæ sequuntur, futura sint. Ita fit, ut et observatione notari possit, quæ res quamque causam plerumque consequatur, etiam si non semper; nam id quidem affirmare difficile est: easdemque causas verisimile est rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per futurum eas, aut in quiete videant.

LVI. Præterea quum fato omnia fiant (<sup>1</sup> id quod alio loco ostendetur), <sup>2</sup> si quis mortalis possit esse, qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat. Qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quæ futura sint. Quod quum nemo facere,

<sup>1</sup> Hottinger. suspicatur, verba ista, id — ostendetur, a mala manu fuisse intrusa: cui libens assentior.  
<sup>2</sup> Sic edidit Victorius, et habent mss. Al. si quis modo talis possit esse.

nisi deus, possit, relinquendum est homini, ut signis quibusdam, consequentia declarantibus, futura præsentiat. Non enim illa, quæ futura sunt, subito existunt; sed est, quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis, et primum quidque replicantis. Quod et ii vident, quibus naturalis divinatio data est; et ii, quibus cursus rerum observando notatus est. Qui etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum, et notas cernunt; ad quas adhibita memoria et diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea divinatio, quæ artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostentorum, signorumque cælestium. Non est igitur, ut mirandum sit, ea præsentiri a divinantibus, quæ nusquam sint. Sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quæ ex iis progignuntur: sic in causis conditæ sunt res futuræ, quas esse futuras aut concitata mens, aut soluta somno, cernit, aut ratio, aut conjectura præsentit. Atque ut ii, qui solis, et lunæ, reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante prædicunt: sic qui cursum rerum, eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt, aut semper, aut, si id difficile est, plerumque; quod si ne id quidem conceditur, nonnunquam certe, quid



futurum sit, intelligunt. Atque hæc quidem, et quædam hujusmodi argumenta, cur sit divinatio, ducuntur a fato.

LVII. A natura autem alia quædam ratio est; quæ docet, quanta sit animi vis sejuncta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiât; ex quo fit, ut homines, etiam quum taciti optent quid, aut voveant, non dubitent, quia dii illud exaudiant: sic animi hominum, quum aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quæ permixti cum corpore animi videre non possunt. Atque hanc quidem rationem naturæ difficile est fortasse traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus; sed tamen id quoque rimatur, quantum potest Posidonius, quum esse censet in natura signa quædam rerum futurarum. <sup>1</sup> Etenim Ceos accepimus ortum caniculæ diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne, an pestilens annus futurus sit. Nam si obscurior et quasi caliginosa stella exstiterit, pingue et concretum esse

<sup>1</sup> Ut enim.

coelum, ut ejus adspiratio gravis et pestilens futura sit; sin illustris et perlucida stella apparuerit, significari, coelum esse tenue purumque, et propterea salubre. Democritus autem censet, sapienter instituisse veteres, ut hostiarum immolarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis, tum pestilentie signa percipi; nonnunquam etiam, quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Quæ si a natura profecta observatio atque usus agnovit; multa afferre potuit dies, quæ animadvertendo notarentur: ut ille Pacuvianus, qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognosse videatur.

Nam istis, qui linguam avium intelligunt,  
Plusque ex alieno jecore sapiunt, quam ex suo,  
Magis audiendum, quam auscultandum censeo.

Cur, quæso? quum ipse, paucis interpositis versibus, dicas satis luculente:

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget,  
creat,  
Sepelit, recipitque in sese omnia; omniumque idem est  
pater;

<sup>1</sup> Hottinger. leg. istos.

Indidemque <sup>1</sup> eademque oriuntur de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur, quum domus sit omnium una, eaque communis, quumque animi hominum semper fuerint, futurique sint, cur ii, quid ex quoque eveniat, et quid quamque rem significet, perspicere non possint?

LVIII. Hæc habui, inquit, de divinatione quæ dicerem. Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quæstus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,  
 Non vicinos aruspices, non de circo astrologos,  
 Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium.  
 Non enim sunt ii arte divini, aut scientia,  
 Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,  
 Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat;  
 Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam;  
 Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt.  
 De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.

Atque hæc quidem Ennius, qui paucis ante versibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur, quid agat humanum genus. Ego autem, qui et cu-

<sup>1</sup> Sic codd. regii. Fulg. eadem, quæ or. d. i.

rare arbitror, et monere etiam, ac multa prædicere, levitate, vanitate, malitia exclusa, divinationem probo.

Quæ quum dixisset Quintus: Præclare tu quidem, inquam, paratus. \*\*\*

*Desunt pauca quedam.*